

PODOSPERMUM ERIOSPERMUM Boiss. in Kotschy pl. Pers. Febr. 1845.

P. perenne, rhizomate petiolis vetustis valde squamoso, foliis radicalibus in petiolum latum attenuatis caulisque elongatis pinnatipartitis rhachi longissimâ lineari laciniis longis remotis patulis deflexisve lineari-subulatis apice lanato-penicillatis caeterum sub lente parce puberulis caulinis brevioribus laciniis angustissimis, caulibus elatis parce foliosis 2-5 cephalis, pedunculis elongatis nudis, involucri tomentelli squamis inferioribus dimidio brevioribus triangularibus lanato-penicillatis internis lanceolatis glabrescentibus, flosculis exterioribus involuero subduplo longioribus, acheniis cylindricis praeter collum basilarem glabrum *ad-presse lanatis* pappo eis paulo breviori terminatis.

Hab. in rupestribus et arenosis apricis *Persiae australis* prope ruinas *Persepolis* Kotschy No. 275.

Caules sesquipedales. Habitus et capitula *P. Jacquini* et *Cariensis* quibus accedit et abs quibus acheniis lanatis nec glaberrimis egregie differt. Prior species caeterum a nostrâ distinguitur foliorum laciniis apice non lanatis, secunda radice bienni.

PODOSPERMUM PHAEOPAPPUM Boiss.

P. glabrum, radice caule erecto folioso striato basi parce ramoso caeterum simplici, foliis late linearibus apice attenuato-acuminatis margine undulato-crispis, capitulis ad extremitatem caulis et pedunculorum lateralium maximis pedunculo longo nudo incrassato valde striato suffultis, involucri glabriusculi squamis exterioribus triangularibus intimis triplo longioribus lanceolatis striatis, floribus . . . , acheniis erostratis cylindricis exterioribus paulo brevioribus muricatis interioribus sublaevibus, stipite cavo dilatato brevi, pappi achenium subaequantis *setis basi dilatatis nigricantibus* plumis sordidis, setis internis longioribus apice nudis scabris.

Hab. in *Kurdistania* inter *Diarbekir* et *Mardin* Kotschy herb. Mus. Vindob. No. 251.

Planta pedalis, folia semipedalia 4-5 lineas lata, capitula e maximis generis, achenia cum pappo bipollicaria. Prope *P. molle* et *villosum* collocandum abs quibus capitulorum magnitudine, acheniis valde muricatis, pappi colore etc. differt. Affine quoque *Scorzonerae Cariensi* meae, quam quoque *Podospermo* adnumeravisse nisi in eâ stipis cavus basilaris brevissimus esset et quae a *P. phaeopappo* foliis

latioribus et brevioribus, pedunculis non striatis, acheniis brevioribus basi laeviusculis, pappi setis non nigricantibus distinguitur. Discrimen inter Scorzoneram et Podospermum mere artificiale est et forsitan haec duo genera aptius in unum jungenda erunt.

SCORZONERA PICRIDIOIDES Boiss. (Sect. *Euscorzoner*a DC.)

Sc. glaberrima glaucescens nana, radice collo petiolis vetustis squamoso, foliis fere omnibus radicalibus ovato-rotundatis breviter petiolatis crispato-denticulatis obtusis caule humillimo a basi ramoso 3-4 cephalo, foliis caulinis ad dichotomias lanceolatis crispatis acuminatis, capitulis cylindricis paucifloris, involucri glaucescentis glabri squamis paucis infimis brevibus triangularibus, interioribus lanceolatis acutiusculis, floribus extus purpurascens involucri superantibus, acheniis brevibus cylindrico-compressis erostratis squamoso-muricatis, pappo plumoso multisetato albo achenii longitudine, setis intimis longioribus apice nudis.

Hab. in Persiâ ad *Ispahan* Aucher No. 4898.

Folia radicalia sesquipollicem longa 12-15 lineas lata, caulibus bipollicaris, capitula magnitudinis eorum *Sc. montanae* vel *strictae* sed angustiora. Species distinctissima in genere facie anomala sed ei characteribus omnino congruens, prope *Sc. paradoxam* F. et M. collocanda quae e descriptione foliis integerrimis acutis, caulibus subsimplicibus, pedunculis apice incrassatis differt.

SCORZONERA STENOCEPHALA Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Euscorzoner*a.)

Sc. radice tuberosâ, oblongo-cylindricâ, collo vestigiis petiolorum vetustorum valde squamoso, foliis omnibus radicalibus puberulis anguste linearibus gramineis flexuoso-incurvis glaucescentibus, scapis monocephalis folia vix superantibus, capitulis parvis paucifloris anguste cylindricis, involucri squamis paucis tomentellis oblongis albo-marginatis obtusis, intimis flores extus purpurascens non aequantibus, acheniis

Hab. in declivibus alpis *Kuh-Daëna Persiae australis* Kotschy No. 481.

Radix longa 1-3 pollicaris, folia et scapi 2-4 pollicaria, capitula illis *Pod. villosi* Stev. minora et praecipue triplo angustiora. Quoad